DE RHACHITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICO-GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. APRILIS A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RUDOLPHUS STEINBRÜCK
NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
D. MEYER, L. FRANK, M. SCHWARZ — MED. CAND.

BEROLINI,
TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

PRAEFATIO.

Cum sub auspiciis et consiliis illustrissimi Krukenberg, professoris Halensis, et ill. Sundelin, praeceptorum meorum aliquoties occasionem nactus fuerim hunc morbum diligentius observandi et curandi, spero, fore ut ignoscant artis periti mihi, cum hac occasione data scribendi, de hoc morbo paulo uberius dissero.

De vi gravitateque hujus morbi non multum dicturus sum, quisque artis peritorum intelliget, quantum intersit, ut hicce morbus mature cognoscatur, et recte curetur, ne eventus et sequelae mali, per omnem vitam durent, et vacillantem vitam modo prius modo serius penitus destruent.

Ne in his paucis pagellis, quispiam profundam perscrutationem de origine, natura indoleque hujus mali, exspectet, nos pro tali re scopulosa et ardua omnino imbecilles profitemur. Comporta-

mus tantum quod nobis ex nostra experientia, et ex aliorum observationibus innotuit.

De vetustate hujus mali nihil certi constituere ausi sumus, quamquam longe absimus ei talem novitatem adscribere, ut id nonnulli scriptores fecerunt. Nobis potius hoc malum jam antiquitus exsistere videtur, ut ex scriptis veterum non ambigue prodit. Attamen recentiori tantum tempore hic morbus medicorum oculos in se vertebat, et ab Arnold de Boot prima descriptio apparuit Postea hicce morbus etiam a Glisson descriptus est, qui annis 1612 et 1620 in Anglia eum observavit, indeque morbum anglicum nominavit.

Rhachitidis nomen, a graeco verbo ῥάχις accepit, quod affectio spinae dorsalis est peculiare atque constans symptoma hujus morbi.

Tunc plura scripta apparuerunt.

Fr. Glissonii tractat. de rhachitide. Londin 1650.

Trnka de Krzowitz. histor. rhachit.

J. J. L. Kappel. Versuch einer vollst. Abhandl. über englische Krankheit.

Levache. traité du rhachitis, Paris 1777.

Boerhave in v. Swietenii comment. Tom. V.

J. Büchner de rhachitide perfect. et imperfect.

E. T. Heine de vas. absorb. ad rhachit. procreand. potent. Gotting. 1792.

Soemmerring. de morb. vas. absorb. Franc. ad Moen.

A. Portal. Beobachtung über Natur und Heilung der Rhachitis.

DESCRIPTIO MORBI.

Morbus corripit infantes praecipue primis vitae mensibus et raro infestat eos post tertium annum. Saepissime produnt sese symptomata ejus post demissionem a mammis. Habent infantes magnam lassitudinem, corpus movendi taedium. Cutis totius corporis flaccida fit, et facile a subditis musculis tollitur, quae flacciditas in facie imprimis observatur, ubi tanta est ut cutis in rugas et sulcos abeat, et infans senilem adspectum praebeat. Una cum his contingunt abdomen tensum, tumidum, magna digestionis laesio, voracitas, et cupiditas res admodum difficile coquendas devorandi. Diarrhoeae valde exhaurientes. Haec symptomata primum stadium absolvunt, quod, si nunc rectum infantis regimen diaeteticum instituatur, si a causis occasionalibus caute arceantur, et prudenter medicamina pharmaceutica a medico pe-

rito adhibeantur, non parum reprimitur et ad pristinam sanitatem infans restituitur.

Sed lugenda est illa parentum negligentia erga liberos, quae saepissime iis haec symptomata occultat, et ea nihili aestimare jubet.

Saepissime vero hic morbus cum dentitione conjunctus est, quod rem multo pejorem reddit. Occurrens febris saepe obruit infantes. Sed per se etiam febris nonnunquam exsistere solet, quae a veteribus febris mucosa vocabatur, et a Waglero et Roederero descripta est, quae non parum infantes in primo morbi stadio e medio tollere solet, quoniam naturam hecticae febris habet.

In progressu morbi, caput volumine augetur, suturae cranii dilatantur, et fontanellae apertae remanent. Nunc etiam extremitatum ossa affici incipiunt. Epiphyses ossium intumescunt et ab inflammatione corripiuntur, partes calcareae ossium resuguntur, unde ossium malacia exoritur, ita ut extremitates corporis ponderi non magis resistere possint, indeque curventur, quod etiam jam sola musculorum actione fieri potest. Pectoris etiam ossa corripiuntur, unde arctatio thoracis nascitur. Columna vertebralis ex iisdem causis, et ab relaxatione ligamentorum,

in varias partes flectitur, unde variae deformitates exsistunt: (lordosis, scoliosis, kyphosis). Si vires infantis nunc sufficiunt, qui nondum ab illa jam dicta febre necatus est, hicce morbus vi medicatrice naturae, provectiori aetate vel certe pubertate, vincitur, et nonnunquam etiam illae extremitatum curvationes, si morbus non nimis vehemens erat, ad pristinam regularitatem restituuntur. Quod vero parum fit, solo naturae conamine, neque nisi adhibitis prudentis medici consiliis, morbus in hocce secundo stadio debellatur.

Tertium stadium absolvunt sequelae hujus morbi, quarum multae sunt, imprimis in systemate ossium apparentes.

DE SEQUELIS MORBI.

Morbo finito, non illae ossium curvationes ad priorem statum sanum reducuntur, sed proh dolor! nonnunquam ad ultimam usque diem remanent. Si illae tantum in extremitatibns sunt, sine magno corporis detrimento, si defoedationem excipias, ferri possunt. Lugendum autem est, hoc multo frequentius accidere in spina dorsali, et ossibus thoracem inservientibus, quam in aliis. Unde oritur illa pectoris cavitatis arc-

tatio, quam vocant pectus carinatum, qua organa respirationi inservientia, in munere suo obeundo impediuntur, et seminium ad multos pulmonum et cordis morbos praedisponitur.

Saepe etiam pelvis ossa dislocantur, quo magna parturiendi difficultas, ita ut partus non raro impossibilis reddatur, oritur.

Hae sunt sequelae quae a curvatione dislocationeque ossium proficiscuntur, sed alia adhuc vitia, non prioribus leviora, post hunc morbum relinquuntur.

Praecipue in tenellis infantibus, accedit hydrocephalus, qui vulgo mox vitam finit. Causa hujus affectionis, ejusque nexus cum rhachitide vix sat apte explicari potest. Forsan illa febris, quae in primo rhachitidis stadio nonnunquam advenit, sive dentitionis periodo procreatur, sufficit ad hanc cerebri irritationem efficiendam, quae a nonnullis febris hydrocephalica vocatur; forsan quoque ex magna debilitate vasorum lymphaticorum cerebri illae effusiones producuntur, uti in pedum oedemate, post morbos admodum debilitantes; forsan denique et ipsa cerebri diminuta compressio, a dilatatis ossibus cranii causa est. Resorbtionem humidorum per pressionem augeri res est admodum nota. Pro

causarum varietate, varii quoque effectus exsistunt. Nonnullae hydrocephalum acutum, aliae chronicum efficiunt.

Hujus mali diagnosis non admodum difficilis est. Nam infantes rhachitici habent ingenium praematurum, magnam animi sagacitatem; in hydrocephalo autem stupore, anaesthesia, et aliis ejus signis correpti jacent.

Adhuc restat unum ex illis malis, quae rhachitis procreare solet, tumor inflammatorius ossium. Qui ut symptoma, sic sequela hujus morbi est. Inprimis epiphyses ossium corripiuntur, sine magno dolore aut aliis incommodis. Phaenomenon minime facile explicandum. Quod si morbum tantum sequeretur, forsan a metastasi explicari posset. Cum vero etiam symptoma ejus sit, res multo difficilior redditur. Attamen nobis analogiae non desunt. Parotitides quoque modo sunt symptomaticae modo metastaticae modo criticae, idem de miliari exanthemate dici potest.

Pro varia sede quam illae inflammationes sibi eligunt, multa etiam phaenomena in lucem prodeunt, modo leviora modo graviora.

Quae inflammatio et tumor ossium si recte et mox cognoscitur, bene curatur et sedem

habet corporis oeconomiae innoxiam, sine magno corporis detrimento fertur et sanatur; si e contrario multa phaenomena valde periculosa et non parum lethalia oriuntur. Maxime vero, ut jam dictum est, epiphyses ossium, praecipueque tibiae et fibulae et radii corripiuntur. Quae affectio ob remotionem a momentosis organis periculo vacat, quae vero si in spina dorsali vel vertebris cervicalibus exsistit, paralysin pedum, vel caput obstipum procreare solet.

Sed tumor inflammatorius in hoc statu non permanet, sed morbo plerumque jam desinente proprium ac peculiare malum relinquitur, quo tanquam metastatice nonnunquam, primarius morbus dissolvitur. Suppuratio excipit inflammationem quae secundum sedem varia nomina habet, e. g. paedarthrocace, omarthrocace, coxarthrocace et sic porro, et etiam varios eventus.

In epiphysibus ossium tibiae, fibulae, radii et s. p. non parum a pure ichoreque ligamenta quae illas cum vicinis ossibus conjungunt corroduntur, quo vitium gravissimum, quod curari nequit, oritur, ancylosis vera. In vertebris cervicalibus idem fieri potest, quod etiam majoris momenti est, ob harum partium vim auctoritatemque in totum corpus. Periculosissima vero

est tumescentia vel suppuratio vertebrarum lumbalium. Ex qua ut jam dictum est, exoritur illa paralysis pedum rhachitica, quae a viro celeberr. Selle ad cariem vertebrarum numeratur. Ob affectionem medullae spinalis producitur etiam paralysis sphincteris vesicae et intestini recti, ita ut hae excretiones involuntarie fiant. Quo in statu infantes multos annos vitam degere possunt: donec sensim sensimque macescunt et moriuntur.

Sed quaevis suppuratio, praecipue si plures partes simul affectae sunt, febrem hecticam afferre et infantes e medio tollere potest. Haec satis sint de sequelis morbi, quae naturam indolemque hujus morbi adhuc obscuriorem reddunt. Vertamus nos ad ea, quae in cadaveribus resectis inveniuntur.

DE CADAVERUM SECTIONE.

Per hasce cadaverum sectiones institutas fere nihil reperitur, quod non e symptomatibus conjicere licet. Magna emaciatio, et totius panniculi adiposi resorbtio reperitur. Musculi laxi, molles et valde debiles, habent ruborem cinnabarinum, et faciles sunt disreptu. Cavitates capitis, pectoris et abdominis nonnunquam serosis

liquidis refertae sunt. Fere omnia abdominis organa volumine adaucta sunt (Cullen). praecipue vero hepar et lien. Bilis natura indoleque mutata habet colorem non tam intense viridem, tenuis et nonnunquam admodum accumulata est, sapore vappido. Pulmones non parum tuberculis infarcti sunt, et muco tenaci referti. Ossa terrenis partibus privata naturam cartilaginis induunt, et sine magno opere cultro scindi possunt. Habent colorem subflavum, subpellucidum.

Sanguis in arteriis contentus, tenuis valde in vasis colli accumulatus, scatet serosa parte, et quodammodo dissolutus est. In vasis lymphaticis nonnunqnam, praecipue in glandulis hujus systematis, massa calcarea reperiebatur. Cerebrum molle et valde pallidum est. Cadavera multum tempus mollia sunt, et serius rigescunt.

PROGNOSIS MORBI.

Prognosis hujus morbi admodum variat, secundum varias conditiones. Qnae vero maximam vim auctoritatemque habent, fere hae sunt.

Variat prognosis.

I. secundum originem:

Num sit morbus hereditarius an acquisitus. Multi quidem scriptores negarunt, seminium a

parentibus ad liberos transduci, attamen e Cullenii observatione ac plerorumque aliorum constat, hoc nonnunquam fieri, quod prognosin multo pejorem facit. Et jam Sydenhamius dixit: „Hereditaria ubi est disposito, et ubi a primis mox subortus est mensibus morbus, difficilis est curatu. Quae ex victus vitio, quae vermibus, variolis, febribus, scabiei, crustae lacteae, herpeti succedit, facilius medelam admittit; atque ubi revertunt efflorescentiae, febris bono est."

II. secundum locum regionemque.

In nonnullis regionibus, praecipue in illis quae ad mare sitae sunt, grassatur hic morbus endemice. Qui igitur saepissime nobis occurrit in Anglia, Batavia. Quod prognosin multo pejorem reddere, quis est qui neget. Causae enim quae morbum procrearunt, semper agunt in affectos morbo et magnum curationis impedimentum obviam ferunt. Longe aliter res se habet si sporadice in regionibus siccis, ceteris paribus obvenit.

III. secundum aetatem, qua aggreditur infantes.

Licet mihi Hoffmanni, viri doctissimi judicium afferre: „septimo a nativitate mense pusillos ut plurimum corripit, et vix ante finitum

triennium relinquit. Quo longius a partu affligit eo melius Morbus invalescens si super annum quintum aetatis inhaeret, difficulter curatur et ni in juventute mutationem recipiat, per omnem vitam corpus manet deforme.“ Et facile quisque intelliget, morbum eo periculosiorem esse, quo magis hominem in prima tenella aetate corripit.

IV. secundum complicationes.

Praecipue complicationes fere hae sunt:

a) cum scorbuto.

b) cum lue venerea.

c) cum scrophuloso morbo.

d) cum dentitione.

e) cum morbis epidemice regnantibus.

1. Cum rhachitis praecipue in regionibus ad maris oram sitis, dominet', ubi etiam scorbutici morbi epidemice grassantur, quid verosimilius et naturae convenientius est, quam ut hi morbi una in uno eodemque individuo appareant.

Quae complicatio periculosior est, quoad prognosin, quam quoad curationem. Etenim amborum morborum character est asthenia, igitur remedia excitantia, roborantia, in utrisque maximo adhibentur emolumento. Attamen in

curatione speciali, magis ad scorbutum respiciendum est, et remedia antiscorbutica prae omnibus aliis adhiberi debent.

2. Altera complicatio est cum syphilide. Quae prius tam saepe erat, ut nonnulli eam cum rhachitide pro uno eodemque morbo declararent, inprimis quoniam rhachitis eo tempore maxime observata est, quo syphilis quoque tanquam a coelo missa, stragem suam admodum vehementem inter populos exercuit.

Quae complicatio pessima est, quoniam curatio amborum morborum valde contraria est. Unde concludi potest, morbos inter se admodum distare, et immerito inconsultoque pro uno eodemque habitos esse.

3. Quod pertinet ad tertiam complicationem cum morbo scrophuloso, hic tantum dici potest, eam non parum occurrere. Attamen in eorum sententiam non ineo, qui inter duos morbos nullum discrimen esse volunt. Haec complicatio sat gravis est, tamen morbus scrophulosus non tam discrepat a natura hujus mali ut in tractando morbo magnam difficultatem inducat. Uterque est morbus evolutionis, maximum igitur a vi naturae medicatrice sperandum est.

4. Complicatio cum dentitione, non raro gravissima symptomata et lethales exitus exserere solet. Etenim dentium eruptione illa febris (de qua jam diximus) augeri consuevit, et facile infantes qui morbis capitis valde obnoxii sunt, in cerebri hydropem incidunt. Sed etiam sine illa febri dentium eruptio, quae in infantibus, rhachitide laborantibus, perdifficile procedere solet, gravissimos effectus producere potest. Tales enim infantes valde debiles sunt, facileque irritatione accessoria, febrique inde exorta vires vacillantes exhauriuntur.

5. De morbis epidemice grassantibus, qui rhachitidi succurrere solent, generatim nihil dici potest. Sed indoles naturaque morborum epidemicorum exploranda. Etenim non pauca exempla existunt, febribus intermittentibus admissis, morbum prosperum exitum nactum esse, quod etiam de nonnullis aliis dici potest. Sed hoc satis sit de prognosi, quam etiam vel conditiones externae vel internae, vel aliae rationes fortuitu, modo pejorem modo meliorem reddunt. Nunc aliquid de prognosi ex natura morbi profluente dicturus sum.

In angusto spes est ubi hydropicus tumor, asthma, phthisis, diarrhoea hectica accedunt. In-

flammationes epiphysium, si in cariem transeunt, et in pluribus locis simul existunt, timorem injiciunt, ne infans febri hectica interimatur. Deformitates ossium si ultra quintum annum durant, non restituuntur. De carie in spina dorsali, et vertebris lumbalibus jam supra dictum est.

DE CAUSA PROXIMA.

De tali ac tanta re scopulosa et occulta conscripturus, in qua explicanda, jam tot viri celeberrimi, qui multum me experientia animique sagacitate praecurrunt, haesitarunt, valde animo perturbor, moveor. Ego igitur non audeo propriam peculiaremque sententiam proponere, sed tantum enumeratis sententiis nonnullorum de hoc morbo autorum, eam paucis verbis evolvere ac explicare volo, quae mihi aptissima esse videtur, et quae varia symptomata hodierno artis statui maxime conveniens dilucidat et explicat. Nonnulli veterum medicorum morbum a syphilide derivarunt, opinantes rhachitidem esse syphilidem depravatam. Rationes quas habebant fere hae erant:

1) Rhachitis fere eodem tempore, quo syphilis observata, dicebatur.

2) Rhachitis cum syphilide conjuncta reperiebatur,

3) Nonnulla symptomata habet communia rhachitis cum syphilide.

4) Rhachitis praecipue in infantibus observata est, quae parentibus venere enervatis, et morbis venereis saepe afflictis, suam vitam debuerunt.

Quae vero contradici possunt rationes, fere hae sunt.

I. Prima contentio falsa est; etenim in scriptis antiquissimis, jam vestigia invenimus, quae huncce morbum non ambigue indicant.

II. Complicatio rhachitidis cum syphilide nihil confirmat, cum morbus contagiosus cum quovis morbo complicari possit.

III. Tertia ratio debilis et vacillans est. Non ex uno symptomate, sed ex plurium compage, morbus constat.

IV. Quarta ratio tantum demonstrat rhachitidem in infantibus, a parentibus debilitatis, natis existere, qui ipsam debilitatem haereditario jure acceperunt. Etiam nunqnam rhachitis connata observatur, quod de syphilide dici potest.

V. Curatio valde ab illa syphilidis recedit.

Darwin*) in suo opere superscripto Zoonomia aliam hypothesin profert. Cui hic morbus a diminuta acidi phosphorici quantitate profluere videtur, et ab adaucta terrae calcareae resorbtione.

Quae vero hypothesis unum tantum symptoma mali declarat. Diminuta acidi phosphorici quantitas, nullis experimentis comprobata et in luce posita est.

Boerhave causam hujus mali peculiarem acrimoniam esse arbitratus est, quam acrimoniam rhachiticam nominavit.

Quod vero est: obscurum per obscurius explicare.

Zeviari ex nimia acidi quantitate, eam derivare vult, quae in primis viis paratur.

Haec vero aciditas in primis viis, magis effectus quam causa morbi esse videtur.

Renard, Haase et nonnulli alii putant, acidum phosphoricum vasis periostei, in nimia quantitate parari, hinc terram calcaream ossium resolvi et in systema sanguiferum reduci, unde per urinam e corpore emittatur. Sed vix credi potest, tales processus chemicos in corpore organico fieri.

---

*) Darwin Zoonomie. 3ter Bd. 1te Abthlg.

Cullenius ostendere studet, inopiam terrae calcareae in causa hujus morbi esse. Putat in primis viis Chymum parari, qui ex causa incognita, non satis impraegnatus sit, cum terra calcarea. Quae terrae inopia etiam ex dissoluta sanguinis qualitate concludi dicitur. Ut hicce morbus tantum in primis vitae periodis eveniat, inde fieri, quod in primis aetatis mensibus haec materies non paretur, et ita natura pergat in hoc statu perseverare.

Mittamus vero omnes has conjecturas, quae theoriam chemicam vel humoralem redolent. Verosimilius et naturae organicae convenientius, explicanda sunt phaenomena ex principiis dynamicis. Qualem theoriam nobis proponit vir ille illustrissimus Sundelin, in animadversionibus suis ad Berendsii praelectiones.

Duo momenta praecipue concurrunt ad huncce morbum constituendum, alterum depressus digestionis, assimilationis reproductionisque processus, alterum ex priore sequens, exaltata vasorum lymphaticorum et venarum functio.

Ex primo facile, illa corporis macies, abolitio panniculi adiposi, indeque sequens facies senilis, explicatur, ex altero substantiarum plasticarum et inprimis ossium terrae resorbtio, et

hepatis volumen adauctum. Hepar enim unum est ex illis colatoriis sanguinis, quod nunc adaucta functione in mole etiam augetur. Etenim resucta adeps et aliae substantiae ad hepar feruntur, ubi illae materies, quantum fieri potest, ex sanguine removentur.

Sat vero sit disputatum de tam abdita ac obscura re, transeamus nunc ad causas, sensibus accessibiles, et manifestiores.

DE CAUSIS REMOTIS.

Dividuntur causae remotae in

α. causam praedisponentem, προηγουμενην

β. causam occasionalem, προκαταρκτικην

De causa praedisponente, tantum dici potest, imbecillitatem debilitatemque frequentissimam causam exhibere, quamvis nonnunquam seminium hereditarium, quod plerumque a matre proficisci dicitur (Cullen), negari non possit.

Causae occasionales praecipuae sunt:

a) Aer impurus, parum renovatus, vaporibus humidis, halitibus noxiis ac mephiticis refertus.

b) Abusus nutrimenti farinacei, panis nigri etc. Propinatae saepius calidae potiones,

ut coffae, theae et aliarum rerum tractum intestinorum debilitantium.

c) Diarrhoeae exhaurientes et alii morbi qui debilitare possunt.

CURATIO.

Fere omnes scriptores in natura indoleque hujus morbi definienda valde inter se contrarii, in curando morbo conveniunt. Omnes fatentur methodum roborantem et excitantem omnium optimam esse. Et re vera facile ex habitu aegrotantium elucet, si eos sine praecapta opinione aggrediamur, debilitatem quam maximam in omnibus fere functionibus, praevalere. Digestio laesa, transpiratio per cutem suppressa est, et musculorum laxitas et inertia tam magna est, ut infantes non libenter e loco se moveant, et mox defatigati pristinam sedem iterum quaerant.

Cum vero, ut jam dictum est, rhachitis morbus sit evolutionis, maximum a natura exspectandum esse, facile intelligitur. Et vero regimine diaetetico bene instituto, non parum magis proficitur, quam directa curationis methodo.

Haec fere momenta in curatione observanda sunt.

a) Vitatio causarum occasionalium,

b) Applicatio remediorum roborantium.

c) Curatio complicationum.

d) symptomatum ac sequelarum curatio.

Qnod ad primam indicationem pertinet, vitanda sunt ea omnia, quae sub causis occasionalibus renumerata sunt.

Aër igitur saepe renovandus est, ut aër siccus sit et ab halitibus noxiis liber, maxima cum attentione curandum est. Quin etiam bene respondet huic morbo, aërem suffumigare cum nonnullis substantiis resinosis, baccis juniperi, mastiche et ceteris nonnullis. In vestimentorum mutatione prospiciendum est, ne illa humiditate scateant, et ut libentius non nisi post suffumigationem baccis juniperi, liberis induantur. Suppressa cutis transpiratio restituenda est, per balnea tepida, siccas perfrictiones, et saepe mutata sicca vestimenta. Arcendi sunt liberi ab omni victu dyspepto, ut ab abusu nutrimentorum farinaceorum, panis nigri, et aliarum rerum tractum intestinalem debilitantium, ut ab coffeae, cichoraceae et theae viridis abusu. Sed dandus est cibus eupeptus, magis animalis quam vegetabilis, cerevisia succa amara (Mumme). Diarrhoeae supervenientes, quae vires valde exhauriunt, supprimendae sunt. Vires liberorum mus-

culares restaurandae sunt per motiones modo activas modo passivas, in puriori aere, foras in pratis solis radiis non clausis. Digestio laesa et ventriculi inertia, irritanda est, aromatibus, vini hispanici parvis dosibus.

Quibus indicationibus si recte satisfaciunt, non parum liberi sine ullo alio medicamento, restituuntur, sanantur.

Secunda indicatio praecipue postulat medicamenta amara, roborantia, adstringentia. Igitur curatio incipienda est amaris leniter resolventibus, quae una tractum intestinalem roborant. Rheum omnibus aliis anteponendum est. Si acidum forsan, ex ventriculi inertia, in primis viis insidet, conjungendum est hocce, cum terra absorbente, e. g. magnesia, calcaria carbonica, una cum aromatibus convenientibus.

Itaque hancce formulam recommendarem.

R. Magnes. carbon.
Rhei optimi $\overline{aa}$ dr. j
Pulv. cort. Cinnamom. scr. j.
Elaeosacchr. flav. citr. dr. β
Sacchar. lactis dr. ij
Per bihor. cultr. apicem.

Qui pulvis, si per longius temporis intervallum, adhibetur, infantibus bene prospicitur,

qui in dies ad pristinam valetudinem redeunt. Alvus liquida, soluta adstringitur, abdomen tumidum, expansum, durum, detumescit, fit molle. Appetitus depravatus, dejectus, redit ad normam. Et nonnunquam jam ad hujus pulveris usum, liberi, majorem corporis firmitatem recuperant, et senilis adspectus, et cutis flacciditas, ob majorem pinguedinis vim, sub cute depositae, evanescit. Nunc tempus est, ad alia amara magis tonica transire. Maximo eventu dari possunt, infusiones frigidae, Quassiae, Hb. Absinth, Card. bened. et aliorum ex hac classi. Corpore his medicamentis ad Chinae et ferri usum praeparato, adhibeantur haecce. Extractum Chinae frigidum, mitissimum praeparatum Chinae, in usum vocetur. In progressu conjungi potest, cum Spir. sulphur. aether. mart. sive Tra. Martis pomat. Omnibus aliis vero, secundum experientiam, pulvis ill. viri Goelis praecedere videtur.

R. Ferri carbon. dr. j
Lapid cancrorum unc. j
f. p. bihor, cultri apicem.

Diu usus continuandus est. Balnea aromatica, martiata etiam adhibenda sunt. Et omnia quae sub curatione diaetetica dicta sunt.

Plura remedia tanquam specifica a medicis celebrata, fidem auctoritemque non diu habebant. Levret celebravit rad. Rub. tinctor. in hacce formula.

R. rd. rub. tinct. dr. j
coq. c. aq. font. ad remant unc. x
sub finem adde
cort cinnamom scr. j
colaturae admisce
Vini gallici unc. ij
sacchar albi ad grat. saporem.
D. S. In diem.

Sed rad. rub. tinct. magis nocet, quam juvat. Quod etiam de aliis specificis dici potest. e. g. de specifico Rosenstein (Rumex aquaticus), Osmunda regalis Linné. Boyle et Navier Cuprum ammoniat.

Curatio symptomatica unum symptoma complectitur, inflammationem epiphysium sive vertebrarum dorsalium, cujus dissolutio omni vi, remediis interne et externe adhibitis, tentari debet. Initio igitur, si dolores adsunt, et rubor externus apparet, hirudines applicandae sunt, et inunctiones Ungt. hydrargyri cinerei instituendae. Nonnulli etiam proponunt, inunctiones oleo therebinthinae calido, si dolores de-

sunt, et tumor magis lymphaticus est. His remediis non parum inflammatio dissolvitur, quae non dissoluta transitum in cariem facit. In qua curanda ars paucum valet, et medici magis est, suppurationem dirigere quam supprimere et sanare. Pro ulceris statu, medicamenta adhibenda sunt. Attamen ei magis correspondent, cataplasmata irritantia, tonica, ut calami aromatici, scordii, chamomillae, Sabinae, Chinae et sic porro. Si caries vero in spina dorsali locum collocat, in cavitate ejus, vel in acetabulo, ubi aditus ad pus clausus est, tum gravissimi effectus exseruntur. Paralysis extremitatum, et coxalgia sive luxatio spontanea, sequelae sunt.

Medici est per epispastica, et ulcera externa hanc suppurationem internam supprimere, et puris resorptionem efficere. Cantharides, sinapismi adhibeantur, et saepe renoventur, quin etiam non parum fonticuli, ulcera artificialia, et ipsum ferrum candens in usum vocari debent.

CURATIO COMPLICATIONUM.

Praecipuae complicationes sunt:

1) cum syphilide,

2) cum morbo scrophuloso,

3) cum dentitione,

4) cum morbis epidemice grassantibus,

5) cum scorbuto.

De singulis complicationibus nihil disseram, quisque artis peritus, facile intelliget, si morbum nostrum bene cognoscit, et complicationum vim recte judicat, quomodo se habere debeat. Utrum modo haec modo illa affectio, artis auxilio egeat, e praesenti casu intelligi debet. Plura jam diximus, ubi de prognosi verba fecimus, in quam igitur, nostros lectores ablegamus. Quod pertinet ad ossa curvata, quae saepius post morbum remanent, multae machinae inventae sunt, quibus hae deformitates quadrentur, quarum tamen utilitas non magni momenti est, quas describendi cum hic non locus sit, ablegamus ad autores chirurgicos.

VITAE CURRICULUM.

Ego A. H. Rudolphus Steinbrück, fidei addictus luthericae, Neodamiae Neomarchiae oppido anno 1807 patre Frideric. Steinbrück et matre e gente Kindermann, quam nunc defunctam deploro, natus sum. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium Regiomontanum frequentavi. Quo vero relicto, ad artem pharmaceuticam me applicavi, quam etiam anno 1826 reliqui. Testimonium maturitatis cum accepissem a commissione honoratissima Berolinensi inter cives academicos receptus sum, a rectore magnifico Boeckh et a celeberrimo Rudolphi, decano, facultati medicae adscriptus sum.

Hisce interfui praelectionibus, ill. Knape de osteologia et syndesmologia, ill. Rudolphi de anatomia corporis humani, et anatom. comparativa, et de encyclopaedia, ill. Lichtenstein de Zoologia, ill. Schlemm de anatomia, ill. Lachmann de arte latine scribendi. de Aischylo, ill. Rudolphi de physiologia, ill. Mitscherlich de Chemia, ill. Ritter de Logice, ill. Eck de Pathologia generali, ill. Ermann de physice, ill. Weifs de Mineralogia, ill. Osann de materia medica, ill. Wolfart de Therapia.

Anno 1829 Halam petii et prorectore magnifico Mühlenbrug inter cives academicos receptus sum.

Interfui clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatri cis ill. Dzondi, Krukenberg, Blasii.

Iterum post annum Berolinum redii, et frequentav clinica ill. Sundelin, Bartels, Rust.

Tentaminibus tam philosophico quam medico e examine rigoroso coram spectabili medicorum ordine rite superatis ac dissertatione et thesibus defensis, spero fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Rhachitis cum morbo scrophuloso non idem morbus est.

2.

Haemorrhoidum fluxus non semper bonus est.

3.

Limitanda est febris intermittentis laus.

4.

Incisio hydroceles omni ceterae curationi praeferenda.